e-codices

dio sancti viri corpus magno sumptum
cum honore ad monasterium transtule-
runt. et inter aram sancti iohannis bapti-
ste et parietem in sarcofago posuerunt.
ubi etiam postmodum ipsius facientibus
meritis. memoria digna dominus dignatus
est manifestare miracula.

10 Denique quodam tempore surdus et mutus
cum quibusdam de vicinis locis orationis
causa monasterium adeuntibus advenit. Et
quia a primeva etate et locutionis et
auditus carebat officiis. tabulas duas collo
dependentes gestabat. quarum collisione et
sonitu. in die opus quod voce nequibat pera-
batur. Is cum suis coviatoribus ecclesiam
ingressus. dum eos singulis altaribus parti-
culas cere sicuti pauperum est consuetudo in-
ponere conspiceret. ad viri dei sepulchrum
accedens tabulas quas gestabat desuper
posuit. se seque quasi oraturus ante illud
prostravit. Et protinus alto sopore depressus.
ut ipse postmodum retulit. senem quen-
dam facie nitidum. monachico habitu glo-
riosum. quasi e tumulo vidit procedere.
dicentem sibi. o homo. cur hic sopore de-
primeris. Cumque ad interrogata nichil
penitus respondere potuisset. senior ad
eum dixit. Surge et incomodorum quibus
hactenus laborasti. remedium a me tibi im-
petratum scito. Ergo tabulis istic dimissis
confestimque monasterium discedens. do-
num a deo tibi concessum in hoc loco ne-
mini pandas. Qui cum evigilans surre-
xisset. sub magna festinatione mona-
sterio digressus. inclinato iam die vespe-
re ad cuiusdam cuiusdam potentis viri hospitium
divertit. Cumque ab illo interrogaretur
unde veniret. per ordinem exposuit. ubi.
quando. et quomodo sanitatis donum
fuisset adeptus. At ille narrationi eius
non credens. teneri eum et custodiri precepit.
ipseque veritatem rei certius inquisiturus.
eadem nocte ad monasterium venit. et ta-
bulas super tumulum positas repperit.
Coviatores quoque sanati cum invenisset.
adhuc eiusdem facti penitus ignaros.
diligentius ab illis inquisivit. si talem
hominem monasterium pergentes in comi-
tatu habuissent. Et continuo eorum
narratione vera esse que domi audi-
erat deprehendit. Que res et presentibus
cunctis innotuit. et ad nos usque veridica
relatione pervenit.

Presbiter quidam ex ipsa congregatione 11
nomine tanco. dum in eadem ecclesia
custodis officium gereret. nocturne quietis
tempore perficiendis luminaribus basilicam
solitus introire. tribus vicibus pene omnia
repperit extincta. Ad sancti autem viri se-
pulchrum perveniens. ardentem cereum
iuxta illud invenit. Ceterisque luminibus
illius relictis administrari splendorem extin-
guere non presumpsit. Ut vero discessit. lux
que prius cernebatur. prorsus est subtracta est. Ubi
et ad maioris indicium miraculi ignis
quidem in candela solito rutilabat. cere
vero nichil penitus ardorem minui vide-
batur. Hec idem venerabilis presbiter sepius
sua relatione confirmans. omne dubitationis
argumentum ab hoc facto veritatis ratione depellit.

Quodam etiam tempore dum eiusdem ecclesie 12
tecta vetustate dilapsa necessario
restaurarentur. quidam ex ipsius monasterii
familia tegulatum ad fastigia basilice de-
ferre debuerat. onere pregravatus de ipsa
tecti altitudine supra viri dei corruit
sepulchrum. moxque immensum aliud lignorum
pondus corruentis impulsum attactu ipso
eum casus ex initio desuper operuit. Cumque
astantes concurrerent. ut ei quem iam
examinem crediderunt. funeris debita
persolverent. sublato lignorum pondere ali-
quantisper nullos membrorum motus ostendens
iacuit. ac deinde per multa suspiria halitu
resumens. absque ulla lesione surrexit
incolomis. et ad incepti operis laborem re-
diit gaudens. In hoc ergo miraculo haut
dubie sancti patris merita claruerunt. cum et
altitudo tecti unde supradictus homo reci-
derat. non minus quadraginta pedum men-
sura a terra esset suspensa. et pondus
insequens corruentem. quod ad multorum
hominum oppressionem sufficeret. opercire
precipitem non conterere potuisset.

Alio tempore rursus quidam adveniens. 13
hospitio pauperum necessitatibus deputato
susceptus est. Et nocte eadem cum ecclesiam
vellet adire. puerulus qui ei ductatum prebere
debuerat. obnimiam frigoris asperitatem
officii sui negavit illi iuvamen. Cumque
nimis doleret quod tante sollempnitati inter-
esse non mereretur. erant quippe dominice
diei vigilie. adolescens quidam ita
membris omnibus contractus. ut non aliter quoquam
procedere quam manibus reptando potuisset.
cum in eodem loco quiesceret. eius dolori co-

operuit

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 610, p. p.%2075 – Computistic Texts and Tables; Lives of Saints and Martyrs; Casus sancti Galli etc. (http://www.e-codices.ch/en/csg/0610/p.%2075)